

**Justus Christianus Loder, D. Dissertationem inauguralem doctissimi
medicinae candidati G.F. Krüger ... / publice habendam indicit. Praemittitur
commentationis de vaginae uteri prolapsu particula II.**

Contributors

Loder, Just Christian von, 1753-1832.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Fickelscherrianis, [1781]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/txjce7nd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ORDINIS MEDICI IENENSIS DECANVS

ll.

IVSTVS CHRISTIANVS LODER, D.

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

DOCTISSIMI MEDICINAE CANDIDATI

GEORGII FRIDERICI KRÜGER

OHRDRVFFIENSIS

DIE XIX MAII MDCCCLXXXI.

P V B L I C E H A B E N D A M

I N D I C I T.

Praemittitur commentationis *de vaginae uteri prolapso*

particula II.

I E N A E

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.





SYMPOMATA, quae vaginae vteri prolapsum, in primis eum quem vniuersalem et complicatum diximus, comitari solent, eadem fere sunt, quae sub vteri ipsius procidentia obseruantur. Pertinent huc in primis frequentes et vani ad emittendam vrinam stimuli, mestio difficultis et dolorifica, alui retentio, fluor albus, molestia ex corpos peregrino genitalibus inhaerente vel ab illis dependente exorta, prolapsae partis facillima inflammatio, partus retardatio,



tio, quam vel genitalium strictura, vel femorum et vestimentorum frictio, vel vrinae effluentis, crustam satis densam non raro formantis, immundities, vel ipse denique sanguinis impeditus circuitus et enata inde humorum collectio et stagnatio procreant. Iam vero, si prolapsa pars inflammata est et intumuit, dolores oriuntur tensiui circa lumbos, in sedendo pedibusque ingrediendo molestia, et vehementissimi dolores inflammatorii in ipsa parte propendente et in genitalibus, febrisque inflammatoriae varia symptomata, quae nota satis hic recensere non vacat. Denique vero silentio praetereunda non est illa molestia, quae ex frequenti procidentia repositae iam partis vel minima corporis agitatione exoritur.

Ad PROGNOSIN quod spectat, prolapsus vaginae universalis et completus virginibus raro, at feminis quae coitu frequenti vtuntur et libidinosae sunt, saepius contingit, itemque si saepe foras egressus et repositus fuerit, curationem quidem palliatuam admittit, radicalem vero semper fere respuit. Partus crebriores, et inter hos in primis qui difficiliorum generi annumerantur, vaginae relaxationem augent, eiusque procidentiam completam, si antea non adfuerit, certe procreant; ipso autem sub partu, nisi vaginae relaxatae bene prospicias, caput infantis vehementissimis vteri contractionibus deorsum pressum in transitu suo retardatur, membranam vaginae internam protrudit, eamque demum disrumpit. Vehementiores corporis commotiones, duraeque alui aerumnofa depositio ex incompleto vaginae prolapsu completum efficiere



cere valent. Nec desunt denique exempla, quae docent, vrinam supra vaginae prolapsum defluente, corrodere illum posse, ita, ut ipsa vrina in eius cauum transeat, ibique calculosarum concretionum, morbi molestiam vehementer augentium, origini, locum praecusat. *).

CVRATIO denique morbi, de quo agimus, aut *palliativa* est, aut *radicalis*. Illa consistit in eo, ut relaxatam et elapsam partem in locum, quem deseruit, reponamus, eiusque nouum descensum vel fasciarum idonearum applicatione vel alio quocumque retinaculo impediamus; haec vero morbum ita tollit, ut ea pars, quae relaxata fuerat, firmetur, locumque suum sponte seruet, adeo, ut nullis prorsus remediis ad eam continendam opus sit. Ex quibus igitur constat, palliatiuam curationem radicali semper praemittendam esse.

Si ergo relaxationem vaginae vel ipsum prolapsum adesse signis supra indicatis edocemur, si porro neque tumor neque inflammatio in parte prolapsa appareat, eiusdem partis repositio id est, quod primum nobis curae esse debet. Instituitur autem repositio ea ratione, ut digitis indice et medio vel oleo vel butyro insulso vel vnguento pomato inunctis, tunicam propendentem sensim sensimque reprimamus, ita ta-

*) Eiusmodi exemplum egregie descripsit et delineari curauit Cel. STOELLER in libro cui titulus est: *Beobachtungen und Erfahrungen aus der innern und äußern Heilkunst*. Gotha 1777. pag. 25. seqq.



men, ut partem, quae pudendis propior est, prius, eam vero, quae ab illis remotior est, deinde refundamus. Deposito igitur prolapsu digitum indicem vaginae immittimus, ut, quae fortasse supersint maiores et eminentes plicae, vaginae parieti adprimantur. Clysmate autem emolliente ad laxandam aluum, et cathetere ad educendam vrinam, nisi sponte effluat, prius opus est, quam prolapsus repositionem instituamus, ne, quo minus absque dolore et difficultate absolui possit haec ipsa repositio, faeces aluinae induratae et vesica vrinae copia repleta impedianter.

Situs aegrotae is esse debet, ut supine decumbat, thorace, quantum fieri potest, demisso, cruribus extensis et eleuatis, calcaneis ad nates adpressis. Durante ipsa operatione nec vocem edere, nec situm mutare, nec corpus mouere debet.

Sufficient haec in praefenti. Reliqua, quae ad curationem spectant, nec non obseruationes nonnullas huc pertinentes proxime dabimus.

Iam vero commendandus est doctissimus atque praenobilissimus Medicinae Candidatus


GEORGIVS FRIDERICVS KRÜGER OHRDRVFFIENSIS,

qui per tres annos, quibus in hac nostra Academia salutari arti addiscendae operam dedit, ita se exhibuit, ut omnibus

ac

ac singulis Praeceptoribus non solum ob ingenium et diligen-
tiam, sed quoque ob morum integritatem carus admodum
esset. Quae vero studiorum vitaeque ipsius ratio fuerit, ab
ipso his verbis edocemur:

Ego Georgius Fridericus KRVEGER *In cem hujus uniuersi aspexi*
in urbe Ohrdurfio principatus Hohenloici, die vigesimo octauo
mensis Octobris, anno millesimo septingentesimo quinquagesimo
octauo. Patrem veneror, virum artis suae peritum, Ernestum
Fridericum KRVEGER Pharmacopolem Serenissimi Principis pri-
uilegio ornatum. Mater vero, nunc ad coelites vocata, Chri-
stiana Friderica b. BRAVNII, Pharmacopolee in modo dicta
urbe, natu major filia fuit. Parentes mei carissimi omnem ope-
ram adhibuerunt, ut principiis christianaee religionis, iisque,
quibus aetas puerilis informari solet, disciplinis imbuerer. Pro-
vectiori vero aetate traditus sum institutioni SILBERSCHLAGII,
Viri venerandi, materna affinitate mihi juncti, tunc temporis
Correctoris Lycei, quod Ohrdruffii floret, iam vero Ministerii
sacri Diaconi, et post eum Correctoris AGRICVLAE, Viri me-
ritissimi. Sequentibus annis per breue tempus imbutus sum insti-
tutionibus Senis venerabilis et doctissimi b. CONRADI, Rectoris
illius Lycei, nec minus Ill. EICHHORNII, Professoris in
hac Academia longe celeberrimi. Per aliquot temporis spatium
etiam hausi praecepta optima et uberrima ex ore nonnullorum vene-
randorum et optime de me meritorum virorum; maximam vero uti-
litatem hausi ex doctrina Cl. KERSCHT, p.t. Rectoris Lycei Ohr-
druffiensis, Viri de me meisque studiis meritissimi, qui me non
solum



solum in publicis, sed etiam in priuatis horis diligenter instruxit. Tandem idoneus judicatus, qui praelectionibus Celeberrimorum in Academia Professorum interessem, anno millesimo septingentesimo septuagesimo octavo Ienam me contuli et die tertio mensis Maii, Prorectore tunc temporis Magnifico Ill. EICHHORN, in numerum ciuium academicorum sum receptus. Iam vero arti hippocraticae, quae a prima pueritia mihi arrisit, totum me tradii, eaque ob rem studia mea ita ordinaui, ut in philosophicis recitationes logicas, metaphysicas, et anthropologicas Exc. ULRICH maximo cum emolumento frequentarem. Mathefin et Algebra apud Ill. WIEDEBURGIVM, ac antiquitates Germanorum apud Exc. MÜLLERVVM magno cum fructu audiui. Physicam theoreticam et experimentalem et scientiam forestalem optime mihi explicauit Ill. SVCCOW, et Horatium Ill. EICHHORN. In rebus medicis me instruxit summa cum utilitate praecipue in Physiologia, Pathologia, Therapia generali, Medicina forensi, ac in arte formulas medicas conscribendi Ill. NICOLAI gratiose Facultatis Senior, Fautor ac Praeceptor aeternum colendus. Illustrum insuper ac experientissimum celeberrimumque GRVNERVM, Fautorem pariter ac Praeceptorem summa pietate prosequendum, de quo mihi vehementer gratulor, Materiam medicam, Semiotiken, Therapiam specialem seu Praxin medicam, artem quoque formulas medicas concinnandi, Bibliothecam veterum medicorum, praecclare singula exponentem, consului. Nec sub eo Illustri Moderatore exercitationes perutiles, disputatoriae quae dicuntur, habitas neglexi, summosque exinde hausi fructus. Physiogiam quo-

quoque, *Materiam medicam, artem formulas conscribendi, artem obstetriciam, Chemiam pharmaceuticam ex recitationibus Exc. STRACKII, Fautoris ac Praeceptoris summopere colendi didici;* sub eius auspicio etiam theoriam in praxi medica interdum adhibui. *Explicationibus Exc. HALLBAVERI in Botanica interfui,* nec non *Experientiss. SCHENKII in Osteologia et Botanica.* Nec silentio praetereunda sunt institutiones Cl. ROVX, qui linguam gallicam mihi tradidit. *Omnibus hisce Praeceptoribus meis gratias, quas possum, maximas persoluo, summumque. Numen supplex oro, ut omni prosperitatis ac incolumentatis genere Ipsiſ proficiat.*

Meis quoque sedulus interfuit recitationibus anatomicis, chirurgicis, iisque, quae ad obstetriciam artem et historiam naturalem spectabant; neque etiam cadauera in theatro anatomico dissecare meisque sub auspiciis in nosocomio obstetricio parturientibus opem ferre neglexit.

Ex quibus omnibus igitur patet, nec defuisse Candidato nostro prænobilissimo occasionem nec animum ea addiscendi quae ingenium excolet et ornarent, quibusque patriæ olim inferuiret.

Peraucto denique tempore academico, vt ad examina conflueta admitteretur, graduque Doctoris Medicinae et Chirurgiae ornaretur, ab Ordine nostro modeste petiit, id quod idem noster Ordo ipsi concedere non dubitauit. Probauit etiam in examinibus cum ipso institutis, talem se esse, qualem ex



vitae suae ratione futurum speraueramus. Data igitur ipsi ve-
nia est, cathedram condescendi, ex eaque dissertationem
de usu acidorum in febribus acidis praesertim inflammatoriis sub
praefidio Viri Ill. *Christ. Godofr. GRVNER*, Collegae nostri con-
iunctissimi, die xix Maii publice defendendi, quo facto summis
in Arte nostra honoribus ornabitur.

Cui igitur solemnitati vt MAGNIFICVS ACADEMIAE
PRORECTOR, S. R. I. COMES ILLVSTRISSIMVS, PATRES
ACADEMIAE CONSCRIPTI, VTRIVSQUE REIPUBLICAE
PROCERES, COMMILITONES GENEROSISSIMI ATQVE
PRAENOBILISSIMI, ET SI QVI SVPERSVNT MVSARVM FAV-
TORES beneuole adfint, ordinis mei nomine oro rogoque.

P.P. sub Sigillo Facultatis mediceae. Ienae d. xvii. Maii

M D C C LXXXI.

